

et credidistis quia a deo exiit. Exiit a patre et venit in hunc mundum, iterum relinquo mundum et vado ad patrem. Quid a patre exiit, nisi non in ea forma qua equalis sum patri sed aliter, id est in assumpta creatura minor apparuit, et quid est venit in hunc mundum, nisi formam serui quam me exinamens acceperat etiam peccatorum, qui mundum istum diligunt oculis demonstrant et quid est iterum relinquo mundum, nisi ab aspectu dilectorum mundi aufero quod viderunt et quid est, vado ad patrem, nisi doceo me sic intelligendum a fidelibus meis quomodo equalis sum patri hoc qui credunt digni habebunt a fide ad speciem, id est ad ipsam visionem, quo produci dicitur est tradere regnum deo et patri. Fideles quippe eius quos redemit sanguine suo dicitur sunt regnum eius, pro quibus nunc interpellat, tunc autem illic eos sibi faciens inherere, ubi equalis est non iam rogabit patrem pro eis. Ipse enim inquit, pater amat vos. Ex hoc enim rogat, quo minor est patre, quo vero equalis, exaudit cum patre. Unde se ab eo quod dicit, ipse enim pater amat vos, utique ipse non separat, sed secundum ea facit intelligi que supra commemoravi, satisque insinuavi plerumque ita nominari in trinitate unamquamque personam ut et alie illic intelligantur, sic itaque dictum est, ipse enim pater amat vos, ut consequenter intelligatur et filius et spiritus sanctus non quia modo nos amat, qui proprio filio non peccat sed pro nobis omnibus tradidit eum, sed tales nos amat deus quales futuri sumus non quales sumus. Quales enim amat tales in eternum conservat quod tunc erit cum tradiderit regnum deo et patri, qui nunc interpellat pro nobis ut iam non roget patrem, quia ipse pater amat nos. Quo autem merito, nisi fidei qua credimus antequam illud quod promittitur videamus, per hanc enim pervenimus ad speciem, ut tales nos amet, quales amat ut sumus, non quales odit, qui mali sumus et hortatur ac prestat, ne tales semper

esse velimus. *capitulum 10*

Quapropter cognita ista regula intelligendarum scripturarum de filio dei ut distinguamus quid in eum sonet secundum formam dei in qua et equalis est patri, et quid secundum formam serui quam accepit in qua minor est patre, non turbabimur tanquam contrariis ac repugnantibus inter se sanctorum sententiis. Nam secundum formam dei equalis est patri et filius et spiritus sanctus, quia neuter eorum creatura est sicut iam ostendimus. Secundum autem formam serui minor est patre, quia ipse dixit pater maior me est. Minor est semetipso quia de illo dictum est, semetipsum exinamuit formam serui accipiens. Minor est spiritu sancto, quia ipse ait, qui dixerit blasphemiam in filium hominis dimittetur ei, qui autem dixerit in spiritu sancto non dimittetur ei, et in ipso virtutes operatus est dicens, Si ego in spiritu dei eicio demonia, certe supereminet in vos regnum dei. Et apud isaia dicit, quam lectionem ipse in sinagoga recitavit, et de se completam sine scrupulo dubitationis ostendit. Spiritus inquit domini super me, propter quod unxit me euangelizare pauperibus misit me, predicare captivis remissionem, et cetera ad que facienda ideo dicit se missum, quia spiritus domini est super eum. Secundum formam dei omnia pro ipso facta sunt, et sine ipso est nichil, secundum formam serui ipse factus ex muliere, factus sub lege. Secundum formam dei ipse et pater unum sunt, secundum formam serui non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius qui eum misit. Secundum formam dei, sicut habet pater vitam in semetipso sic dedit filio vitam habere in semetipso. Secundum formam serui, christus est anima mea usque ad mortem, et pater inquit, si fieri potest transeat a me calix iste, secundum formam dei ipse est verus deus, et vita eterna, secundum formam serui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Secundum formam dei omnia que habet pater ipsius sunt, et omnia tua mea sunt inquit et